MARSILIVS ZANCHVS
Ad Lectores.

Nunc ite / & celebres deducere sacra poetas
Dicite Pieriis non potuisse modis.

SACRATISS. HADRIANO. S. CHRYSOGONI CARDINALI DANIEL CERETVS. S.

Heroides nostræ Ampliss. Hadriane tibi uni principū nostri orbis doctiss. dicātur / læuo sidere (ut aiunt) incohatæ: uidere enim patriam italaqꝫ urbium fortiss. æquatis solo mœnibus hostiliter direptam: totqꝫ hominum millia passim per uias / perqꝫ domos / etiam ad aras cæsa: reliquos omneis captiuos: Vestales fumantibus recēti cæde gladiis inter abdita penetralia perterritas: ipuberes aliū sub orbem abductos: miseras matres superbi uictoris contumelias / armaqꝫ perpessas. Et quid amplius nobis formidandum? quando & sæuienti fortunæ iugulum præbere satius fuisset. Nunc uero postq̄ morientum uoces / terrificæ tubæ / barbariciqꝫ ululatus siluere / uerti me tantisper ad elegos / ut excitādo sopitos ignes lenirem curas: Sic Heroides intermissæ / peneqꝫ strictos inter enses iterū periclitatæ / breui coaluere: imitātes motū naturæ (teste Philosopho) in fine uelocem. Hæc (quantulacunqꝫ) tua sunt: uiuent (sat spero) si eloquentiæ tuæ gladio defendere ipsa non recusabis:

Vale.

DANIELIS CERETI BRIXIANI PHYSICI.

HEROIDES.

Irgineos auſus / temerataq; regna profanis
u Enſibus / & raptas per freta longa rates
Dic dea / Tarpeias cœlo quæ reſpicis arces:
Et Capitolino marmora rapta ioui.
Affer opem Virgo: nanq; inuidioſa uetuſtas
Nos premit: & turpi ſecula uicta ſitu:
Carmen / & audaceis præſens moderare furores:
Et moueant placidi carbaſa tenſa noti.
Rex erat / Oceani qua murmurat unda Britanni /
Inſulaq; extremis alta feritur aquis.
Maurus auis / atauiſq; potens / cui paſcua centum
Mille greges ouium / mille fuere boum.
Litora millenæ complebant alta carinæ:
Huic totidem nitidi frena tuliſtis equi.
Regia Tænariis ſtabat ſuſpenſa columnis /
Pictaq; non uno flore nitebat humus.
Stabat ab Eois Ebenus mareotica ſyluis /
Lectaq; Erythræo concha erycina mari.
Marmorei poſtes gemmis auroq; premuntur
Et libyco ſplendent ex Elephante trabes.
Aula triumphatas oſtendit picta cohortes /
Diraq; bellaci regna ſubacta manu.
Stant mœſti uinctiq; duces: & pallida circum
Agmina fortunam flentq; pauentq; ſuam.

Squallenteisq; comas / inhonestaq; vulnera tergo
Ostendunt / trepidæ signa pudenda fugæ.
Captiuæ præeunt alpes / & nomina regum /
Fluminaq; / & titulis oppida capta suis.
Et consternati populo plaudente iugales:
Vectaq; lauriferis barbara præda rotis.
At Maurus uiridi redimitus tempora lauro
Quattuor albentes aureus urget equos.
Cristatasq; acies inter / cantusq; / tubasq;
Pacato hostileis orbe triumphat opes.
Talibus atq; aliis (longũ ẽ memorare) triũphis
Stabat Apellæa regia picta manu.
Duxerat hic celsa Daream stirpe micantem /
Hinc sata flauentes Vrsula pulchra comas.
Vrsula palladias inter celeberrima nymphas /
Vrsula uirginei fama decusq; chori.
Mæoniam sumpta superasset lite puellam:
Seu daret argutos pendula tela sonos:
Seu teretem niueo torqueret pollice fusum /
Siue semiramia pingere mallet acu.
Alba uerecundo splendebant ora rubore
Qualia pæstanis lilia mista rosis.
Aut qualis mediis fulges Amarante ligustris
Ornatur festo cum noua nupta die.
Pectora Caucaseas superant candore pruinas:
Et coma subiectum longa flagellat ebur.
Non arabum redolebat opes: non alta feroxq;
Illa Caledonias dicitur isse uias.
Nec premit ambrosios aurum crinale capillos:
Nec cadit in tepidos Succina gutta sinus.

Nec picturato cohibens uestigia limbo
  Fulget Agenorea purpura missa Tyro.
Quin & Sarrano si quam uidisset in ostro
  Sæpe suas comites increpuisse ferunt.
Blandaq; terrificis immiscens uerba querelis
  Diuinas alacri mente docebat opes.
Visendi studio peregrino puppis ab orbe
  Sæpe tulit cupidos per freta longa duces.
Illa perosa procos syluis agitabat in altis
  Attonitas arcu percutiente feras.
Castaq; Panchæos templis adolebat odores
  Flore coronatos impediente deos.
Sæpe pater dixit / miseros quid spernis amantes?
  Nube: nec indignas filia carpe moras.
Nata mihi generum / debes mihi nata nepotes:
  Si libet / optati coniugis uxor eris.
Coniugis ad nomen doluisse Britannica uirgo
  Fertur: & offusis erubuisse genis.
Regaleisq; amplexa pedes / Clarissime dixit
  Da pater æterna virginitate frui.
Per superos oro / tumulata per ossa parentum
  Annue / per sceptri iuta fidemq; tui.
Desinit in lacrimas: lacrimæ decuere: nec ultra
  Sustinet ad patrios ora leuare sonos.
Crescit / & Euphraten ea fama vagatur ad altum:
  Nec minus occiduo qua tepet unda die:
Perq; papyriferi septemflua cornua Nili:
  Quaq; riget Scythico Parrhasis ursa polo.
Transit iernæas eadem pennata per urbes
  Qua patet inuicti regia dira senis.

Ille ferox gladiis hac tempestate cruentis
Subdiderat regnis oppida multa suis.
Auditaq; nouæ forma præstante puellæ
Fluxerunt sacra regia sceptra manu.
Perq; ait hūc ensem (nanq; ensem forte gerebat)
Et per Threitii tela cruenta dei
Hæc uirgo pulchra faciet me prole beatum:
Nec nurus est regnis illa pudenda meis.
Dixerat: Aethereus ualidos at filius ignes
Concipit: ætnæo nec minus igne calet.
Aethereus frenator equum: cui mollia fulgent
Ora: subest flauæ cui noua barba comæ.
Illum regales mille optauere puellæ:
Mille tamen uanas illæ habuere preces.
Hanc amat: & longum sperando nutrit amorē:
Et queritur sæuas nocte dieq; faces.
At pater Orantes portus iubet ire Britannos/
Et sibi diuersa poscere ab urbe nurum.
Addidit ille minas mœsti si uela referrent
Atra/maritaleis & sine luce faces.
Ianq; iter emensi/peragunt mandata: latensq;
Protinus est longæ causa adaperta uiæ.
Obstupuit Maurus: totoq; ita palluit ore
Sylua Cytoriacis ut solet orta iugis.
Vtq; solet tacitæ per amica silentia lunæ
Solus in ignota cum timet hospes humo.
Vtq; leui flauæ Zephyro turbantur aristæ
Intima sic gelidus terruit ossa tremor.
Quid faciat? thalamos hinc uirgo exosa iugales
Pugnat: & optatam ferre recusat opem.
Hinc amor/& sæui feritas innata Tyranni/

Q uodq; peregrinos non amat illa deos.
Consulitur trepido iuuenis regina parenti
Pulchrior effusis per sua colla comis.
Ite ait / o proceres / regiq; hæc dicite uestro
Virginibus decoret sceptra Britanna decem.
Q uælibet audaci peregrinas puppe puellas
Mille uehat: totidem regia nostra dabit.
Interea teneris puer erudiendus ab annis
Diuino flauas abluat amne comas.
Perq; uagum decies repetitis piscibus orbem
Vir meus in patria est excipiendus humo.
Callida purpureo placuerunt uerba Tyranno:
Ianq; rates dubias imperat ire uias.
At uirides spectant uenientia uela Britanni
Candida Monapio uela soluta sinu.
Et q̃ Samnis agit: Vectisq;: & Limnus: & Edros:
Et longo Eblanum quod caret angue solum.
Et quæ pomiferæ misistis litora Thules:
Orcadas ad festos quis neget isse dies?
Et quas præterea diuerso miserat orbe
Nuntia regaleis fama coisse rates.
Et Gerasma nouæ felix matertera nuptæ
Præparat audaces puppibus ire uias.
Asper / & immitis / numidaq; ferocior ursa
Aetnæas coniux huius habebat opes.
Ah quoties illo siculas regnante per urbes
Trinacris immiti cæde tepebat humus.
Ah quoties fertur pullos induta colores
Flebilibus coniux ingemuisse modis.
Perpetuoq; trahens uiridem mœrore iuuentam
Mollierat sæui pectora dura uiri.

Hac duce præclaris uiduantur regna puellis :
Et uehit innumeras sicelis unda rates :
Q uas uada Pantagiæ / quas Naulocha misit : & Acræ :
Et quæ Troiano sanguine Acesta nitet .
Et Melite libycis resonans pecorosa procellis :
Et qui clamosis errat Elorus aquis .
Strongylos & uentis nimium perflata sonoris :
Tyndaris : & culto fertilis Enna solo .
Hesaq; : & arbutis palmarum onerata Selinus :
Et quæ nectareis non caret Hybla fauis .
Centuripæ : nitidiq; ferax Entella Lyæi :
Et Netum : & Zephyro qui patet altus Eryx .
Et Gauli feruent abiegnis æquora palmis :
Nec Tissæ celeres continuere rateis .
Et Megara & Drepane siculas iuuere carinas :
Cinctaq; piscosis gens Agathyrsa uadis .
Et qui litoreæ genialia rura Panhormi
Accolit : & fines herbifer Aci tuos .
Q uæq; Leontino Catine uicina colono
Ire Simætheas in freta cernit aquas .
Q ui fontes bibit Hypsa tuos : qui potat Achaten :
Teq; Syracosiis Himera lapsa iugis .
Obsidet & dulcem proles animosa parentem :
Nec freta / fallaces nec timet illa uias .
Iuliaq; / & plenis Victoria nubilis annis /
Aureaq; / & longas flaua Babylla comas /
Et puer immensa tactus pietate sororum
Hadrianus / matris sarcina parua suæ .
Soluitur Ausonio classis numerosa Peloro /
Concita Tyrrhenas ianq; fatigat aquas .

Antraq; fumiferis Vulcani exusta caminis
 Præterit / & Liparæ qua uada salsa sonant.
Sirenumq; domos: tepidiq; rosaria Pæsti:
 Et Silarus culta qua citus errat humo.
Et Surrentinos generoso palmite colles:
 Quaq; fluit rapidis in mare Sarnus aquis.
Saxaq; Miseni: Cumææq; antra Sibyllæ:
 Et uos Campani pascua læta soli.
Liternumq; tenet dextra: Prochytamq; sinistra
 Qua terret miseras atra fauilla rates.
Protinus umbrosæ spectantut regna Myricæ:
 Atq; Venafrani pinguia culta soli.
Antraq; Circæis quondam maculata uenenis:
 Quiq; secat uirides albula Tybris aquas.
Præterit & Pyrgos: ægrotanteisq; Grauiscas:
 Teq; metalliferis nobilis Ilua iugis.
Et qua riphæo Populonia tunditur Euro:
 Et celer Etruscam qua rigat Arnus humum.
Altaq; marmoreæ raduntur litora Lunæ:
 Et ratis Hesperias intrat anhela uias:
Spumifer horrisonis Rhodanꝰ qua pfluit undis /
 Et defrenatis in mare currit aquis.
Fulmineum pugnax & Barcino qua rotat ensem /
 Ostriferis late Barcino pulsa fretis.
Te quoq; Campano tantum cessura falerno
 Tarraco Trinacriæ præteriere rates.
Quaq; ferox sumpta Balearicus audet habena:
 Quaq; Saguntinas unda flagellat opes.
Et qua Palladiis umbratus cornua ramis
 Bætis arenosas æquore miscet aquas.

Q uaq; Chalybs raucis pelagi cõfunditur undis :
 Q ua Tagus auriferis in freta currit aquis.
Peruenit ad pictos tandem quassata Britannos
 Acta per innumeras aduena puppis aquas.
Excipit hospitio Siculam regina sororem :
 Mistaq; sunt lacrimis oscula mille piis.
At famulæ centum longo stant ordine circum /
 Q uarum barbaricas altera monstrat opes.
Detrahit hæc tyrias humero candente lacernas :
 Turbatas uentis colligit illa comas.
Miratur uasti pars mille pericula ponti :
 Et stupet ad siculos pendula turba sonos.
Ianq; fatigatis uario sermone puellis
 Effert regaleis turba ministra dapes.
Carpebant dulcem mortalia corda soporem :
 Et lupus ad clausas ipse fremebat oues.
Ianq; papauereis frontem redimita corollis
 Nox ferrugineos huda premebat equos.
Regifico luxu thalamos ea turba paratos
 Intrat : & auratis membra dedere toris
Iam procul urgebat roseos Aurora iugales /
 Inq; pruinosis sederat alta rotis.
Conueniunt hilares ad ditia templa puellæ
 Q ua sedet in mediis Vrsula celsa choris ;
Inter formosas quæ formosissima Nymphas
 Militiæ spectat munera tanta suæ.
Millia tot magnis nunq̃ coiere Mycenis
 Dardaniam peteret cum ferus hostis humum.
Incipit : & rapidi fecere silentia uenti :
 Dum loquitur / uernas efflat ab ore rosas.

Cui non audita est lacerati iniuria Christi?
Ille sua nostras cæde redemit opes.
Exangues animas nigro reuocauerat Orco
Ante: sed est diræ traditus ille neci.
Hyrcanæ gemuere feræ: scopulosaq; Ponti:
Alcyones mœstum concinuistis aues.
Sol rutilos uultus ferrugine tinctus Ibera
Optauit currus sustinuisse suos.
Tunc Salomoniaci tremuere cacumina templi:
Terraq; sub Stygios pene recepta lacus.
Luridaq; umbrosi patefacta est ianua regni,
Scilicet inuicta ianua fracta manu.
Nec procul, æterno felix captiuus Olympo
Sedit: & hinc cœli mitis aperta uia est.
Ergo agite o comites longinqua p æquora uectæ
Quærite siderei gaudia longa poli.
Non ibi ueloces exercent secula cursus:
Nec toties rapidos Cynthius urget equos.
Impia nec dirus portendit bella Cometes:
Nec rubet humano sanguine pinguis humus.
Non canis arentes exurit Sirius agros:
Nec quatiunt populos fulmina missa leues.
Non ibi pallentes posuere cubilia morbi
Tristia: nec tremulo curua senecta gradu.
Non tuba: non litui: nō pallida sæuit Erinnys,
Nec coniuratos impia ad arma uocat.
Aura sed externos mitissima uincit odores
Siue tuos Babylon: siue sabæ tuos.
Quosq; metūt Arabes campis felicibus: & quos
Diues Oronteis accola portat aquis.

Quosq; legunt Cilices: & quos sub sole recenti
 Parturit Eois barbara terra iugis.
Perpetuo nitidi uernant in flore capilli:
 Sed perit in uariis nostra iuuenta malis.
Cernitis ut picti redolentia munera ueris
 Exiguo perdat frigore tristis Hiems?
Tempus edax roseo sic carpet ab ore colores:
 Plurimaq; in uultu ruga senilis erit.
Auferet hūc uestrum Mors importuna decorem:
 Et cadet in flauas alba pruina comas.
Anguis in aurato nascetur nigra sepulcro:
 Et Tyrios rodet sordida Blatta sinus.
Quid iuuat Assyria crinem perfundere Myrrha?
 Sertaq; odoratis imposuisse comis?
Gemmea marmoreo gestasse monilia collo?
 Balsama / Corycios quid ue oluisse crocos?
Aut quid Erythræo digitos ornare lapillo?
 Vestra quid aurata corpora ueste tegi?
Quid trepidum bellis cinxisse furētibus orbem?
 Martiaq; in capto ponere castra solo?
Si leti pulsanda uia est: si mœsta tremensq;
 Vmbra per infernas uestra natabit aquas.
Hippolyte pugnax vbi nūc? vbi pl'chra Thalestris?
 Et fera turbatis Penthesilea comis?
Cincta securigeris pharetrata Camilla puellis?
 Tullaq; discordes inter & arma tubas?
Ipse triumphatas inter iacet Annibal umbras:
 Et comes annosæ Tyndaris est Hecalæ
Hic ubi terrificis religatus colla cathenis
 Cerberus æratas excubat ante fores.

Et pice torrentes fluctus: Orciq; satelles
  Tristia sulfureas iactat in ora faces.
Hic frustra laniata sinus / laniata capillos
  Plorat ad ardentes pallida turba lacus.
Indulgetq; fero mœrens Eriphyla dolori:
  Et Paris: & phrygiæ præda cruenta ratis.
Ardet & osceni meretrix regina Canopi:
  Q uæq; procellosis edita fertur aquis.
Infelix / niuei quæcunq; oblita pudoris
  Tela / Cupidineas sustinuitq; faces.
Hæc laqueo sua colla ferox circondedit: illa
  Vulnifico ingratos abstulit ense dies.
Altera pignoribus nondum satiata peremptis
  Dira Tomitanæ nomina fecit humo.
Milleq; quas falsi toties lesere mariti
  Inq; neces miseras imperiosus amor.
Q uis furor est animos cœlesti sede creatos
  Turpiter in stygios præcipitasse lacus?
Q uis furor est teneræ neglecto flore iuuentæ
  Ante diem fati procubuisse sui?
Q uam melius: pingues dū pax illesa per agros:
  Dum latuit ferrum: dum nouus orbis erat.
Nondum puniceo tellus madefacta cruore
  Sponte sua dulceis ferre negabat opes.
Nondum Bistoniis miles radiabat in armis:
  Nauita nec dubias uelificabat aquas.
Vellera nec uiduæ gestarant pulla maritæ:
  Mercator querulo nec bibit ore fretum.
Non clypeus / non ensis erat: nec bellica pinus
  Cædibus ignotas commaculauit aquas.

Ceperat Aeolios nondum discordia uentos:
Terra nec hibernas senserat ante minas.
Nec stetit in scopulo lacrimans Ariadna marino:
Nec fuerat rubro gemma reperta mari.
Felix heu tellus: si nunq̄ mercis Heoæ
Diues Erythræas nauta ferisset aquas.
Non luxus creuisset amor: nec mille periclis
Fœmina quæsitas attenuaret opes.
Penderent raucis nec uela Britanna theatris
Aurea nec Phrygia stamina picta manu.
Nec toga Sidonios potasset nostra colores:
Et quoscunq; noui tempora ueris habent.
Pinguis Achæmenios nec oleret crinis odores:
Nec tegerent Latias serica texta nurus.
Opereant conchæ potius / pereantq; smaragdi
Quam terat infernas ulla puella uias.
Dum licet o Nymphæ rapidis date lintea uentis:
Non ego cum uobis arma cruenta nego.
Veliferas sequar ipsa rates: ego regia uirgo:
Illa ego principibus mille petita procis.
Neu pigeat duri tolerare pericula belli:
Velaq; nubiferis explicuisse notis.
Ille etiam totum nutu qui temperat orbem
Exul in ignota sæpe resedit humo.
Quiq; premunt rapidi nunc aurea sidera cœli
Sæpe pedes duras sustinuere uias.
Quid referam socios uentosa per æquora uectos
Vltima litoream qua Thetis ambit humum.
Aspice diuersos terraq; mariq; labores
Quos neq; Theseæ sustinuere manus.

Dura nec iniustæ peragit dum iussa nouercæ
Arcadii quondam fama timorq; soli.
Intrat inaccessæ pars uasta silentia syluæ
Fronde famem pellens diuite: fonte sitim.
Hic Boreã/petit ille Notũ: petit alter Hydaspen:
Et placido populos edocet ore feros.
Attigit & nostros audax facundia portus
Vtiliter falsos depositura deos.
Orbe pererrato (pro cœci infamia secli)
Fortiter indignas oppetiere neces.
More Perilleo falsa hic mugiuit in aluo:
Ille Prometheas pectore pauit aues.
Hic ferrum / tulit ille faces: bibit ille uenenum:
Mersus in æquoreas occidit alter aquas.
Pertulit ille angueis: at pertulit ille leones:
Sanguine discordes terruit alter equos.
Ah crudele nefas: libycis ah digna Cerastis
Pectora / Sithoniis asperiora iugis.
Dixerat: & lacrimæ fluxere per ora decoræ
Singultu medios impediente sonos.
Assensere deæ: superosq; in fœdera testes
Aduocat ad longas turba parata uias.
Classe uirisq; potens pelagi regina Britanni
Ventorum lentas increpat usq; moras.
Tempus erat uarios quo primum terra colores
Induit: & syluis mille queruntur aues.
Vector & aurato splendebat uellere Phrixi:
Et lacerum Progne garrula flebat Ityn.
Ingreditur pandas numerosa caterua carinas:
Longaq; diuerso murmure castra sonant

Quale solet primo nemorũ increbrescere motu
Insidas nautis cum parat Auster aquas.
Aut ubi litoribus longe sonat unda recuruis
Vallibus aeriæ cum timuere grues.
Effusæ transtris expectant flamina diuæ
Flamina per dubias officiosa uias.
Atq; aliqua e teneris residens in puppe puellis
Forsitan est tales ore locuta sonos
Nascere / iamq; diem reſera mortalibus almum
Phœbe serenati splendor honosq; poli.
Nonne uides rutilos ut iam tenuauerit ignes
Vixq; micet fessis Lucifer altus equis?
Lucifer intonsos cui uentilat aura capillos:
Sertaq; rorantes implicuere comas.
Vos quoq; iam uenti scythico qui luditis axe
Ceratam crebro uerbere ferte ratem.
Illa nec auratam Colchis auertere pellem
Nititur: aut raptam per freta ferre nurum.
Non freta gemmiferi cupit hæc sulcare profundi.
Diues ut eoas inde reportet opes.
Regna nec immitis peregrini concupit orbis:
Prælia / Tyrrhenas nec uehit illa tubas.
Sternere Chaonias quercus quæ gloria uestra est?
Fluctibus ausuras grandia ferte rates.
Ecce latent placidis curui Delphines in undis:
Nec geminant raucos litora pulsa sonos.
Quãtũ erat: ut leuib9 resonarẽt æquora pẽnis:
Et facerent celeres flamina uestra uias.
Dixerat: & summis hærentia uela Ceruchis
Impulit Aeolii protinus aura Noti.

Expediunt ſeſe comites: pars cœrula uerrit:
 In freta ueliferas pars trahit alta rates.
Laxat Iernæis hec ferrea uincla liburnis:
 Remigio faciles altera cenſet aquas.
Hæc mouet antennas: tortos legit illa rudentes:
 Immenſos uentis explicat illa ſinus.
Eruta iam ualidis ſpumeſcunt æquora remis:
 Canaq; uix curuas accipit unda rates.
Cymothoenq; uagam centenis uerberat alis
 Bellica fluctiſonas puppis itura uias.
Ianq; uolat ſcythica neruo torquente ſagitta
 Ocyor: & liquidas itq; reditq; uias.
Interdum patriis laſſata quieſcit arenis:
 Iactaq; uerſatas ancora turbat aquas.
Et modo luctando naualis imagine belli
 Gaudet inexpertas conſeruiſſe manus.
Et modo diffugiens merſis fodit æquora tonſis:
 Et celer euerſas nauta fatigat aquas.
Taliter Actiaca fugiens Cleopatra carina
 Mœſta Paratonias dicitur iſſe domos.
Victriciſq; manus ferit ignea ſidera clamor:
 Et trepidant imis monſtra marina fretis.
At pauidæ matres / portuq; effuſa iuuentus
 Ter quater elatas increpuere manus.
Conclamant: ſcopuliſq; cauis clamoris imago
 Aſſonat: & placidas uerbere pulſat aquas.
Interea pelagi doctus / rectorq; carinæ
 Soluit anhelanteis ad pia bella rates.
Nauali iam pulſa phalanx: iam curua recedunt:
 Litora: iam patrii delituere ſinus.

Ianq; Caledonium Borea crispante profundum
Peruenit in portus Galla Thyella tuos.
Hinc Morinos legit extremos: Rhenūq; superbū
Intrat: & aduersas remige sulcat aquas.
Vos quoq; post multos adit Agrippina labores,
Mœnia / Romuleæ quæ posuere manus.
Iam Sol flammiferos in Ibero gurgite currus
Merserat: & tenebris alta latebat humus.
Clauserat & tepidis saturos fœnilibus hedos
Tityrus: & pictæ conticuistis aues.
Nuntius ætherea subito cum lapsus ab arce
Astitit: & tales edidit ore sonos:
Surge age cura deum / latios pete uirgo penates:
Surge agedum / & lentas Vrsula rumpe moras.
Scilicet & tempus ueniet cum sanguine uestro
Puniceas Rhenus per mare uoluet aquas.
Hic finis belli: durorum hinc meta laborum
Transferet in superas nomina uestra Deas.
Hactenus: & rapido fugiens uelocior Euro
Sparsit odoratis pectora casta rosis.
Nec mora / fluctiuagis petitur Basileia puellis:
Celsaq; spumosis tunditur alnus aquis.
Pronaq; dum celeres referunt ad pectora remos
Ancora iam fessas alligat unca rates.
Festa coronatis descendunt agmina proris /
Hei mihi non illis agmina digna locis.
Nulla fatigatas releuant pilenta puellas:
Barbara nec Belgis esseda uecta rotis.
Nec sonipes fuluo radians Mauortius auro
Perstrepit argutis æquora lata sonis.
Sed premit Arctoas pubes miseranda pruinas:

Et ſecat alpinas candida planta niues.
Ianq; per Auſonios acies effunditur agros:
Nec tenet aſſuetas hoſpita turba uias:
Qualis piniferæ reſolutis nubibus oſſæ
Penæus rapidas cum citus urget aquas.
Per ſata / perq; greges fertur: nec ut ante ſolebat
Riparum clauſas mole coercet aquas.
Mirantur pueri / mirantur caſtra puellæ:
Et ſtupet ad uarios fœmina uirq; ſonos.
Sic ubi lagei uernant ad litora Nili
Strymonias Memphis barbara cernit aues.
Ianq; propinquabant Romanis agmina muris
Obuia Cyriacus cum pia caſtra mouet.
Ipſe caput celſa fultus de more Tiara
Paſcebat niueos ad uada Tuſca greges.
Occurrit patriæ gaudens telluris honore:
Et conſanguinei tactus amore chori.
Clauigeraq; manu dulcem ſuper ora ſalutem
Sparſit: & eſt latio turba recepta ſolo.
Iam requies duros lenibat blanda labores:
Pectoraq; irrigui plena ſoporis erant.
Ecce puer leuibus liquidum ſecat aera pennis:
Pontificis caſtos & ſtetit ante toros.
Edocuitq; fero caſuras Marte puellas:
Cyriaco ſociam non renuente necem.
Ianq; rubeſcebat Tithoni coniuge cœlum:
Palluerant nitido ſidera ianq; polo:
Surgit & illotas ſacro lauat æquore Nymphas:
Aerataq; fugam concrepuere tubæ.
Nec mora / uelatus tyrio Vincentius Oſtro
Pontificis ſequitur terga premitq; ſacri.

It comes & uariis gaudens pia turba periclis
Queis tegit exiguas candida mitra comas:
Sulpitius: longoq; tremens Follarius æuo:
Et Clemens Anglas qui bene rexit oues.
Et Basileææ noua gloria Pantulus arcis /
Pantulus emensæ duxq; comesq; uiæ.
Impiger & Syrio ueniens Iacobus ab orbe
Quem tulit antiquo terra Britanna lare.
Et Velicanæ Pastor Mauritius urbis:
Et Maculus Danai cura dolorq; soli.
Hunc sequitur roseo neptis Constantia vultu
Cui ferit exiguos aurea palla pedes.
Dorothei proles Byzantia regna tenentis
Mille sui laceros torsit amore uiros.
Hanc puer insignis uultu / regnoq; superbus
Duxerat: ante annos occideratq; suos.
Expertemq; tori patria dimiserat aula:
Sed piget: & thalamos concipit illa nouos.
Quam pater ut uidit dare uela furẽtibus Austris
Rupit inauratos ungue rigente sinus.
Canitiem & multo fœdatus puluere sacram
Edidit indignos ore tremente sonos
Ergo per extremos ibis mea nata Britannos?
Nata mihi & sceptro carior atq; oculis.
Nec natale solum / nec te pia cura parentis /
Nec tangit regni gloria tanta tui?
Num te Phasiacis / num te Perseidos herbis
Deuouet / & magico carmine torquet anus?
Tu procul a nobis fluctus patiere marinos /
Forsitan æquoreis præda cibusq; feris

Nec te triſtis Hiems / nec te Gætulica Syrtis
Terret ? & inſidis oſſa ſepulta uadis ?
Adde quod & ſiculo memorant latrare profundo
Herculea quondam monſtra ſubacta manu.
Fœminaq; / & uirgo uentis ablata quid audes
Velle peregrinas ſollicitare uias ?
O utinam Hippotades ut te tua uela morentur
Et uento / & raucis æquora turbet aquis.
Non ibi quæ teneris faueat Galatea puellis
Regnat : habet nullam pontus & unda fidem.
Infelix / pelago quicunq; uagatur : at ille
Felix / cui uiſa eſt terra paterna ſatis.
Reſpice pallentem / & cõfectum ætate parentem :
Quo properas annis inſidioſa meis ?
Tu mihi ſupremæ Lenimen dulce ſenectæ :
Solamen longis una reperta malis.
Si pietas ulla eſt / patrio me conde ſepulcro :
Facq; bibant lacrimas funera noſtra tuas.
Finit in amplexus : Ederaq; tenacior hærens
Oſcula dat / roſeas imbre rigante genas.
Sic cum Threicias peteret Philomela carinas
Omnia ſunt lacrimis humida facta piis.
Quas non ille preces / aut quæ nõ uerba peregit
Mitia / montanas apta mouere feras ?
Illa uelut niueum pario de marmore ſignum
Fortis in oppoſita lumina figit humo.
Contemnenſq; pias animo conſtante querelas
Perſtat ut inſanis icta Malea fretis.
Vt pulſata feris cautes Marpeſſia uentis :
Tunſaq; riphæis Aeſculus alta notis.

At pater ut pelago fugientia lintea uidit
Dicitur incomptis exululasse comis:
Non ita neglectos hedera redimita capillos
Fertur ab Ogygio Bassaris acta deo.
Colla securigeri nec quoi fregere ministri
Taurus / ubi arsuris præparat exta focis.
Sic uitulum Syluis orbata iuuenca sub altis
Plorat: & implumeis sic sua mater aues.
At puer Aethereus campos glatialis Iernæ
Liquerat: & fines ultima terra tuos.
Subditaq; Hesperio pulsabant rura colono
Et soror / & gelido quæ uenit axe parens.
Paruula adhuc festas tu Florentilla choreas
Narraris duræ postposuisse uiæ.
Cœruleisq; simul ueniens Daræa Britannis
Occurris natæ protinus ipsa tuæ.
Quo non liuor adit? Stygii regnator Auerni
Tartareas fertur deseruisse domos.
Altaq; Tænariis afflauit sidera bigis
Pannonium stimulans ad fera bella ducem.
Succēdensq; animos / inuicti gloria Martis
Casuras Iuli respice dixit opes.
Gens inimica tibi temeratis aduena sacris
Aduehit in patrios arma cruenta deos.
Aspice fœmineis quassatum uiribus orbem:
Si sapis / intrepida dirue castra manu.
Dixerat: & breuibus torquatus colla colubris
Purpureos gelido perculit angue sinus.
Inspiratq; feros Erebi de sede furores
Queis Styga / queis tristeis cernit amatq; neces.

Fulgurat ille oculis / ut quas Semeleia proles
  Fertur in Ismariis exagitasse iugis.
Hortaturq; feros ad martia bella maniplos
  Impiger: & latas obsidet ense uias.
Nec procul / Agrippæ dictas de nomine terras
  Calcabat reduci dissona turba pede.
Protinus horrifico strepuerunt cornua cantu:
  Milite ferales ore mouente sonos:
Q ualis Hyperborea descẽdens Cimber ab Arcto
  Cum lacerat fines Itala terra tuos.
Horrida Lymphatas agit in certamina mentes
  Funeream geminans torua Megæra tubam.
Confluit Emathiis pubes armata sarissis:
  Q uiq; iacit ualida grandia saxa manu.
Et qui cornipedes in gyrum torquet anhelos
  Ore Pelethronios inficiente lupos.
Q uiq; grauem torquet baleari verbere glandem:
  Q ui sude / qui stricto cõminus ense ferit.
Ille Cydoneis doctus certare sagittis
  A lipedi fundens spicula fidit equo.
Hic patrio gaudet ferrum infamare ueneno:
  Thermodonteis fulgurat ille minis.
Hi spoliis quatiunt hastilia torua ferinis:
  Efferat hunc agili lancea pulsa manu.
Ille iacit picea fumantem lampada flamma:
  Fulminat in rapidis ille uel ille rotis.
Incubuit Boreas syluis ubi thracius altis
  Sic sonat: & refluas cum quatit Eurus aquas.
Aurea tunc uasti ditata est regia cœli
  Innumera latas cæde tegente uias.

Elusamq; ratem sceleratí portitor Orci
Dicitur in stygiis uix agitasse uadis.
At cohibens fuluos ærata casside crines
Iulius indomiti terga fatigat equi.
Ille ferox rabido spumas uomit ore cruentas/
Puluercam quatiens irrequietus humum.
Complectensq; humeros radiabat luce corusca
Irrita passurus uulneta mille chalybs.
Talis Bistonio rediens Gradiuus ab Hebro
Sanguinea fertur lora mouere manu.
Huic pharetra ex humero spiratibus aspera signis
Pendebat Cressæ nobile gentis opus.
Strauerat hic Geticis tumidum Pythona sagittis
Delius: & larga cæde rubebat humus.
Ianq; Giganteæ uertebant terga cohortes:
Centimanum cœlo depuleratq; Gygen.
At circum lætis superi plausere choreis
Molliter & pictis accubuere toris.
Detrahit ille humero pharetrā: legit ille sagittas:
Castalio turpes hic lauat imbre comas.
Pars laudes canit ore tuas: pars Phœbe corollas
Dat tibi: & auratis gemmea serta comis.
Ad Mauri natam lunato Iulius arcu
Venerat: armatas attuleratq; manus.
Q ualis marmaricis impasta leæna sub antris
Incustoditos cum petit ore greges.
Ille sed immensæ miratus præmia formæ
Hæret: & in uultu signa dolentis erant.
Taliter in capta Lyrnesside fortis Achilles/
Perseus in fusca torpuit Andromeda.

Taliter & niueam Tirynthius arſit amicam
 Oechalias uictor cum laceraret opes.
Aſpicit: & ualidos ſpectando concipit ignes
 Pinguis ut apricis tæda reciſa iugis:
Arcus / & ingentes humero ſonuere pharetræ:
 Oraq; mox blandis ſoluit anhela modis
Atq; ait / O uirgo non iſtis digna ſagittis
 Pone metus / noſtri parte futura tori.
Ille ego cui tantis gens effera militat armis
 Ille ego ſum belli cauſa coacta tui.
Accipe daq; fidem: thalamos aurata ſuperbos
 Ibis / odoratas flore tegente uias.
Natales nec ſperne meos: mihi ſtemmata ſurgũt
 Inclyta / præteritos ſi numeremus auos.
Aſpice pallentes immiti cæde puellas
 Vltima iam telis interitura meis.
Parce meas ſcelerare manus: teq; eripe leto
 Vnica iudicio pulchra reperta meo.
Talibus Arcitenens: at talibus alma puella
 Virgineo teneras picta rubore genas:
Nec tibi præclaro genus eſt a ſanguine: ſed te
 Aequora / Maſſylæ te genuere feræ.
I nunc: & claros ſcelerate repoſce triumphos
 Nempe iacet telis fœmina uicta tuis.
Et facito parii ſcribatur fronte ſepulchri
 Hæc ſunt uirgineis rapta trophæa choris.
Non ego ſtillantem peregrina cæde maritum
 Vecta per immenſas Vrſula poſco uias.
Sed quem fatidicæ toties cecinere Sibyllæ:
 Quiq; Palæſtino uagiit orbe puer.

Q ui ſtygias tremefecit aues Dodonide ſylua :
  Delphica qui Clarii ſuſtulit antra dei :
Q ui freta litoribus uentoſa coercuit altis :
  Et uolucrum liquidas fecit in orbe uias.
Palluit audita ſolido ex Adamante repulſa
  Miles : & iratas mouit ad arma manus.
Non ſecus ac coluber pedibus quē preſſit arator /
  Sibila dat : linguis & micat ille tribus.
Aut fera cum trepidum ſequitur Gangetica furē :
  Aut paſtoraleis cum rotat urſa canes.
Impoſitoq; genu ſpatioſum fortiter arcum
  Flexit : & eſt paucos lingua locuta ſonos :
Durior alpina quercu : truculentior Hydro :
  Frigidior Borea : frigidiorq; niue.
Aſperiorq; fretis : ſcopulo tu ſurdior illo
  Rauca procelloſi quem ferit unda maris :
Poſtq̄ pacis inops / & inexorabile pectus
  Eſt tibi / uirginibus ſis comes ipſa tuis.
Hactenus : & celeres Iuli ſonuere ſagittæ :
  Vrſulaq; indignam corpore preſſit humum.
Q ualia curuato demeſſa Papauera ferro
  Purpuream meſſor cum populatur humum /
Q ualia uel rapido languentia lilia ſole :
  Alba puellari dempta liguſtra manu :
Laberis heu Nymphe / primoq; extingueris æuo :
  Mitis inhumanis agna relicta lupis :
Non tibi quæ claudat morientia lumina mater /
  Nullus adeſt lacrimis qui riget ora piis.
Nec patriæ comites fuſis per colla capillis
  Vltima funeribus dona dedere tuis.
Iam paſtor cogebat oues : iam Phœbus ab Indis

In Tarteſſiacas ibat anhelus aquas.
Cordula reſtabat gladiis erepta nefandis /
Hanc memorant nimio delituiſſe metu.
Cordula nocte latet piceis defenſa tenebris /
Vix bene deſertæ munere tuta ratis.
Pœnitet hanc / rigidis poſtq̃ ſupereſſe puellis
Se uidet / & claram non ſubiiſſe necem.
Perq; feros enſes bibula dum tendit arena
Vltima funeſtam pectore tinxit humum.
Carmen habet finem: caſtis date ſerta puellis:
Et date cum multa thura Sabæa prece.
Diua potens pelagi tenues delapſa per auras
Huc ades: & radians ad tua feſta ueni.
Maternoſq; ſinu manes complexa potenti
Ad ſuperos tecum duc miſerata choros.
Caſta faue Regina / pios nam uixit & annos:
Et matronales auxit honore rogos.
Te duce iam multos tellus inarata per annos
Accipiat docta ſemina iacta manu.
Ruſticus hinc grandes miretur farris aceruos:
Theſtylis & niueas ſolibus uſta genas.
Luxurianſq; nouo pubeſcat uinea fœtu:
Vicinum lacrimis nec lauet icta ſolum.
Et rediens plenis ſpumet Vindemia labris:
Auferat ut longam nobilis unda ſitim.
Pullulet & ſeris factura nepotibus umbram
Paciferas reparans mitis oliua comas.
Nec uideam ſparſos ſcelerata cæde penates
Vaſcone captiuos diripiente lares.
Nec coniurato deſcendens Gallus ab axe
Brixiacas iterum trans iuga portet opes.

Nec Venerem / & læuo spectātiā lumine Martem
Excedant adytis numina prisca suis.
Nec pelago quæsisse fugam / nec montibus altis
Cogat Hyperborei dextra furorq; poli.
At si tantus amor stricto decernere ferro /
Et reserant iras æthra polusq; suas/
Talis in imbelles iniuria transeat Indos:
Inq; feros Cilicas dedecus istud eat.
Florea tunc latiæ texent tibi serta puellæ:
Et recinent laudes uir mulierq; tuas.
Annue pacato Diis acceptissima uultu:
Annue: per comites / per tua sacra precor.
Sic tibi perpetuis uigilent altaria flammis:
Et tibi per populos sint noua templa truces.

Brixiæ ex Autoris archetypo per Io. Antonium
Cegulum Anno Salutis. M. D. XVI.
Mense Nouembri.